

aiunt, seris ? » sed cum multi mihi ista suaderent, nulli acquiescendum putavi. Spero enim, mecum ipse reputabam, divinitate faciente, litteras aliquid profuturas. Si
10 autem id, quod abhoret a votis, fuerit consecutum, nobis tamen non mediocriter consulemus, si silentii crimen vitare potuerimus. Neque his quibus mos est peragrarere totum navibus fretum peiores esse credimur. Qui quoties viderint eiusdem artifices disciplinae, navi fluctibus mersa
15 aut ventorum impetu dissoluta, incumbente tempestate adversa, pelago saeviente deferri, vela deponunt et ancoras iaciunt et minores naviculas remigiis occupantes, homines alias fortassis ignotos sed ex praesentis periculi conditione noscendos omnibus modis servare festinant.
20 Verum si illi forte respuerunt salutis auxilium, nullus his credo poterit imputare eorundem perditionem, quos voluisse manifestum est servare perituros. Haec a nobis transmissa perspicias. Speramus autem quod et a te invicem nobis votiva referantur et quod iterato te sancto
25 atque felici Salvatoris discipulorum choro videbimus adgregatum, incolumem te sanitate quae vera est citius recipiamus orationibus Sanctorum. O mihi amicum caput, si qua etiam nunc in sensibus tuis memoria nostri est, neque nos ab arcanis pectoris tui penitus expulisti,
30 dignare, rescribe. Non enim ambigis nobis e litteris tuis maximam laetitiam esse venturam.